



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Ego Johannes credo & confiteor fidem, Quam sancti Apostoli  
prædicaverunt, Et SS. Patres in quatuor conciliis confirmaverunt.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

nam quærenti pro fide Romano-Catholica evidentibus. Si pro prætensa alia religione eadem haberem, & non pro hac ipsa fide, quam profiteor, certè eam amplecterer. Quia nil aliud quero quàm vivere & mori in illa fide, quam ex motivis & principiis evidentibus judicare debeo esse veram, & quia talem esse Ecclesiam Romano-Catholicam agnosco. Utique tu Deus Ter-optime Maxime in ea me vivere & mori vis. Hinc non aliud peto Epitaphium, quàm quod tumulo suo inscribi voluit S. Joannes Gualbertus, qui triduo, ut in horis Canonice legitur, ante mortem honoratus Angelorum obsequio Anno salutis 1070. migravit ad Dominum.

*Ego Joannes credo & confiteor fidem,  
Quam sancti Apostoli prædicaverunt,  
Et SS. Patres in quatuor conciliis confirmaverunt.*

Perpendant hæc Catholici, & in fide sua confortentur. Perpendant Sectarii, & videant, quomodo quietè vivere & mori possint in sua secta attentis tot antilogiis suorum Coriphæorum, qui ipsos eorumque majores à Romano-Catholica Ecclesia abstraxerunt, & in specie dixerunt, primis 4tuor sæculis necdum corruptam fuisse Ecclesiam. Perpendant demum miserii Apostatæ, qui propter tria A Aurum scilicet, Ambitionem, & Amorem mulierum à sancta fide & ab ordine religioso tribus Deo ob-

stricti substantialibus religiosi ordinis votis, turpiter apostatarunt.

## Appendix.

*Quoad principia generalia in controversiis fidei  
secundum methodum Veronianam.*

**A** P. Francisco Veron, qui fuit à Societate JESU celebris in Gallia controversista, hæc Methodus nomen accepit, tractat illam fusè, & dein ejus habetur compendium, consistit autem generatim in eo, ut (cùm Sectarii debeant ex possessione ejicere dogma quodcunque fidei, quod à longis retro sæculis amplexa est Ecclesia Romano-Catholica ante illorum ab eadem separationem) ut inquam Catholicus se semper manuteneat in possessorio, & sectarium adigat ad Actoris partem agendam, & quidem ex solo scripto Dei verbo. Cùm id in ejusdem principis sit sola & adæquata in articulis fidei regula. Ego quatuor mihi adaptavi Methodos quoad quatuor principaliora puncta, de quibus non eodem tamen modo sparsim in hoc libello egi, *1<sup>um</sup> est* ratione verbi divini traditi. *2<sup>um</sup>* Ratione verbi divini scripti. *3<sup>ium</sup>* Ratione vulgaræ à Catholicis receptæ, & Bibliorum ab Heterodoxis impressorum. *4<sup>um</sup>* Ratione prætentæ reformationis, quibus demum alia solida adnectam.